

posito exemplo: Titius indigens mille aureis, mutuos eos perit à Cajo, qui cum consueverit negotiari, & negotiatione pecuniam suam augere, renuit indulgere petitioni Titii, à quo ratio- nem mutui nihil potest exigere: quia verò Titius Cajum urgere non cessat, res inter eos in hunc modum componitur: Titius mutuos accipit à Cajo præditos mille aureos, neque mutui causa, quidquam se Cajo, ultra sortem, solutum promittit: ut tamen Cajo damnum rependat, quod ex dato mutuo subit, dat ei facultatem, æquivalentem pecuniæ summam, sive à seipso, sive ab alio per cambii contractum accipiendi, eamque ad negotiationem destinandi, simulque Titius se obligat ad solvendum Cajo, donec ei mutuum restituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere deberet, si prædictos mille aureos à campore accepisset. Quandoquæ etiam ipsemet Titius mutuarius assumit sibi onus, cambiis negotiandi tantam pecuniæ summam, quantam mutuum accepit à Cajo, in commodum tamen, & utilitatem ejusdem Caji, cui quotannis solvit, quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari posset, donec ei mutuum restituat. Sunt istæ ut plurimum usurariorum fraudes, quibus contractus mutui pallio quodam obducitur, ut honestum appareat, quod inhonestum est, & ex turpi avaritia proficiscitur.

Ut pauperum hominum inopiæ op-


portunius consulere, neve alias illi ab avaritia mutuantium premerentur, pluribus in locis recentioribus sæculis erecti sunt *Montes*, ut vocant, *pietatis*, quos inter loca pia jure recensuit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 8. de Re- form., ex quorum institutione factum est, ut indigentibus pecunia crederetur, datis pignoribus, sub ea lege, qua si post certum tempus pecunia non restitueretur, venderentur pignora, ex quorum pretio pio loco satisfaceret, residuum debitoribus concederetur. Quemadmodum verò laude dignissimi sunt horum Montium institutores, atque custodes, quoties debitores nullam aliam contrahunt, quam restituendæ sortis obligationem, ita statim & sine discrimine damnandi erunt, qui ea lege in creditum iri ab indigentibus voluerunt, ut quousque non restituant, in annos, vel in menses singulos aliquid ultra sortem tribuant, nisi nihil esset, aut insuficiens, quod in alendos loci pii administratos foret conferendum. Cæterum in hac re maxima opus est prudentia, ne fortè contingat, quod probum esset, sub pietatis specie usuris vacari. Hinc in multis Provinciis receptum est, ut ne prætextu quidem administratorum alendorum aliquid ultra sortem exigatur inconsulta Apostolica Sede, quemadmodum refert idem Benedictus XIV. in dicto lib. 10. de Synodo Diocæsana cap. 5. num. 2.

PARS

PARS SECUNDA DE MODIS, QUIBUS AB ECCLESIA REI CRIMINUM COERCENTUR.

DISSERTATIO PRIMA ET PROOEMIALIS.

GENERALIA PRÆCEPTA TRADUNTUR DE MODIS, QUIBUS ECCLESIA UTITUR IN REIS CRIMINUM COERCENDIS.

uos in officio minimè continet virtutis amor, aut timor divinæ vindictæ, ar- cere juvat à maleficiis, propositis ab homine pœnis, quemadmodum aiebant Patres Aquisgranensis Concilii anni 816. cap. 13. Pro- videri mater Ecclesia, quæ sicut solvendi, ita & ligandi facultatem à Christo accepit, tribus modis consuevit in malos animadvertere; primò penitentis, secundò censuris, tertio pœnis per quas, quasi per diversos, alios aliis terribiliores coercitionum gradus, Deo simul, & Christianæ republicæ satisfaceret. Uti enim tres sunt delinquentium conditiones, quorum alii sincero dolore correpti spontè confitentur admissum, ad legitimam peccatorum expiationem sine fraudi parati; alii contumaces corripienti Ecclesiæ interea obstantes, de quibus tamen necdum deposita est probabilis spes futurum brevi, ut respiciant; alii denique pertinacissimi & pugnaces in crimine perseverantes, sublata probabili spe conversionis; diversæ similiter sunt eorumdem coercendorum rationes. Ad-

versus primos penitentis, adversus postremos pœnis regulariter Ecclesia animadvertit. Dico regulariter; etenim aliquando, aut ubi horror gravissimorum quorundam criminum, aut ubi exterior pollicitia rerum optimè gerendarum asperiorum disciplinam postulare videtur, statim admissum crimen non penitentia solum, sed & censura, imò nec censura solum, sed etiam pœna persequitur, quamquam tunc pro bona penitentis adfectione, ad absolvendum deinde, vel dispensandum faciliorem se, ac leniorem exhibeat.

Gradus isti ferè ignoti fuerunt publicorum judiciorum, & meri imperii exercitoribus. Cum enim civiles Magistratus ad regendam rempublicam præfecti, primum ratione delictorum non in levia quæcumque peccata, sed tantum in atrociora crimina animadvertere, legibus jussi sint; deinde ratione delinquentium personarum non tam corrigere reos, aut emendare, quam vindictam de admissis sumere ad satisfaciendum lææ republicæ, & reparandam

injuriam in rempublicam illatam, imò & ad occasiones avertendas, ne in posterum injuriæ similes in eandem rempublicam inferrentur, ex officio debeant; satis est ipsis, si pœnas inferant, servato pœnarum modo pro scelorum & adjunctorum qualitate, quin de ceteris solliciti sint. At ecclesiastica potestas, quæ homines dirigit ad Deum, eaque propter & notat leviora ipsa delicta, & erga consocios delictorum ita se gerit, ut expiet, quoad fieri possit, eorum animas, solvat laqueos, quibus illi intricantur, & eos emendet, atque sanctificet; debuit sanè gradus illos universos ita constituere, ut non primùm regulariter deveniret ad pœnas, quam desperata esset emendatio, non primùm deveniret regulariter ad censuras, quam difficilis esset emendatio, imò & sæpè emendatio ipsa aut relinquerebatur arbitrio reorum pœnitentiis spontè suscipiendis, aut auctoritate sacra indicerebatur per pœnitentiis à reis imploratas; tunc enim utilius videntur peccatores emendari, & verè ex animo cùm libentius peccata aut in se ipsi puniunt, aut flagitant, aut piè puniuntur.

Id adeo verum est, ut quoties Ecclesia, ita postulante regimine suo, hanc novam corrigendorum delinquentium formam exercere cœpit, ex vulgato loquendi usu non potuerit excerpere vocabula propria, & singularia, ac propterea debuerit certa nomina invenire, atque usurpare præter ingenitam eorumdem significationem, ad designandos illos gradus, pœnitentiæ, censuræ ac pœnæ. Siquidem pœnitentiæ nomen vi sua nihil aliud significabat, quam intimum mororem rei de crimine admissio; Ecclesia autem hoc nomen recepit, ut indicaret varios peccatoris actus, quibus ipse admissum in se puniat, atque castiget. Item censuræ nomen, vi sua nihil aliud significabat, quam publicam notam in personas, in res, in libros, derivato vocabulo à veteri Romanorum Censorum officio, qui in mores populi in-

quirebant; Ecclesia autem hoc nomen recepit, ut indicaret quoddam ultionis publicæ initium adversus eum, qui contumax est, ut emendari incipiat, crimen confiteatur, & expiet. Denique pœnæ nomen, quod significat quamcumque vindictam publicam, Ecclesia usurpavit, ut indicaret eam vindictæ speciem, quæ suprema sit, & quæ cùm demùm inferatur, aut cùm quis sit pugnacissimus, de cujus conversione vis spes supersit, aut cùm adeo enormia scelera sint, ut in puniendo reo expediat horrere ceteros, vehementerque terri. Hinc profectò intelligitur, quare identidem videmus pro his alià nomina usurpata. Pœnitentiæ non semper pœnitentiam appellaverunt; aliquando enim dixerunt satisfactionem, can. 3. de pœn. dist. 3., Gratianus in principio dist. 1. de pœnit. aliquando redemptionem peccatorum, can. 76. de pœn. dist. 1., modò dolentis vindictam, can. 4. de pœn. dist. 3., modò reconciliationem, can. 10. de pœn. dist. 3. expiationem, secundum baptismum, vel secundam post naufragium tabulam, conversionem, confessionem peccatorum, spiritum lenitatis, & similia, can. 34. 41. 46. 58. 72. de pœn. dist. 1., can. 12. de pœnit. dist. 3. Censuram non semper censuram dixerunt, sed modò canonicam distinctionem, modò canonicam ultionem, modò nervum ecclesiasticæ disciplinæ, modò felicem mucronem, modò medicinam, & similia; quemadmodum inferiùs suo in loco demonstrabitur. Pœnam non semper pœnam nominaverunt, sed modò distinctam ultionem, modò gladium spiritualem, modò ferrum putridas carnes secans, & similia, sicut inferiùs tradendum erit. Insuper ex positis principiis intelligitur, quare identidem nomina pœnitentiæ, censuræ, & pœnæ promiscuè usurpentur, ac modò pœnitentiæ dicitur, quæ est censura, vel pœna; modò censura, quæ est pœnitentiæ, vel pœna; modò pœna, quæ est pœnitentiæ, vel censura. Etiam improprie & latè pœna dicitur, quod-

cumque spiritum angit, & cruciat, & certis bonis priyat, quod de pœnitentiæ etiam ac censura dici potest; pœnitentiæ improprie dicitur de eo, quem pœna tenet, derivata hac significatione ex notatione nominis, juxta canonem 4. de pœn. dist. 3., quod & censura & pœnæ faciliè accommodatur; censura dicitur de eo, qui alicujus coercentis jurisdictioni subest notandus, argumento canonis 10. caus. 2. quæst. 1., quod de pœnitentiæ à Sacerdotibus imposita, ac de pœna dici æquè potest, can. 17. caus. 12. quæst. 2. Reverà in cap. 2. de maledicis, quæ proprie pœnitentiæ est, pœna etiam nominatur; apud Augustinum in can. 81. de pœn. dist. 1., in can. 4. & 7. de pœn. dist. 3., & apud Toletanos Patres in can. 27. caus. 27. quæst. 1. pœnitentiæ appellatur pœna, imò & Toletani Patres in can. 13. dist. 12. pœnitentiæ nominant censuram. Quidquod Gratianus initio quæstionis 6. caus. 26. pœnitentiæ Sacerdotali auctoritate indicatam excommunicationem appellare non dubitavit; seu, quod idem est pœnitentes dixit excommunicatos, quando tamen excommunicatio inter censuras recensetur? Quidquod in can. 32. de pœnit. dist. 1. pœnitentiæ ultro suscepta dicitur voluntaria excommunicatio? Quidquod in cap. 9. de celebrat. Missar., & in cap. 1. de sent. excom. in 6., ut alia multa juris monumenta præteream, suspensio, quæ sanè censura est, pœnæ vocabulo nuncupatur.

Si quaeratur, quid causæ fuerit, cur hæc nomina identidem confunderentur, dicam liberè pœnitentiæ, censuras, & pœnas gradu potius, quam specie differre, eamque ob rem idem coercitionis actus modò pœnitentiæ esse potest, modò censura, modò etiam pœna. Si proprie loqui velimus, pœnitentiæ sita est in certis piis operibus à peccatore aut spontè susceptis, aut voluntariè ab Ecclesia impetratis, can. 85. 86. de pœnit. dist. 1., putà jejuniis, elemosynis, certis orationibus, peregrinationibus,

abstentione à certis, iisque nobilioribus christianæ communionis juribus, aliisque similibus. Quis inficias iyerit, in his etiam posse censuram, pœnamve consistere? Quoties ex. gr. quis jubetur abstinere ab Eucharistica communionem usque in finem vitæ, erit pœna; ut in can. 12. dist. 28., can. 10. dist. 50. quamquam si ad certum tempus abstinere debeat, pœnitentiæ esse possit, aut censura, prout aut in contrumacem fertur, aut volenti & acceptanti indicitur, can. 55. de pœnit. dist. 1. Item proprie loquendo censura dicitur, excommunicatio, suspensio, & interdictum. Quis inficias iyerit etiam in his aliquando esse posse pœnam, vel pœnitentiæ? Quid enim, si quis excommunicetur, aut suspendatur ad tempus determinatum? ut in can. 2. dist. 34., can. 9. dist. 35.; nonne tunc aut pœnitentiæ pars erit, aut fortè etiam pœna? Quid, si quis excommunicetur post mortem? Nemo tunc dubitare potest, quin hæc excommunicatio proprie pœna sit, quando non ideo ferri potest, ut excommunicatus terreatur, & demissè ad unitatem Ecclesiæ revertatur. Hæc ratio est, quare passim apud nostros Scriptores, sive canonum Interpretes, sive Pragmaticos legimus, ferri quandoquæ censuras per modum pœnæ, vel pœnitentiæ, certaque discrimina assignari inter censuram proprie dictam, & censuram, quæ vix habeat censuræ speciem, & reverà sit pœna, vel pœnitentiæ. Ita evenire passim solet, ubi vocabula propria, & singularia unicuique rei explicandæ inventa non sunt, eaque usurpata, quæ analogiam quandam haberent, & quæ loquendi usu coerceri debuerunt ad certas reorum species, licèt per se multis convenire possent, atque accommodari. Exinde ego puto, enersisse gravissimas illas difficultates, in quas incidere consueverunt, quicumque de censuris scripsere, imò & hodie passim incidunt, quicumque hanc materiam versant in conspectu canonum, propterea quod grave admodum est, & laboris

improbi plentim; præsertim in antiquis canonibus; secedere species à speciebus pœnamque à pœnitentiâ; & censuram ab utraque distinguere, ob promiscuam; quæ identidem occurrit, nominum usurpationem.

Inter est sine hanc rem, quoad fieri potest, initio perspicuam facere, ut plana via sternatur ad intelligenda ea omnia, quæ sive de pœnitentiâ, sive de censuris, sive de pœnis in sequentibus dissertationibus tractabuntur. Id non aptius, & meliore methodo fieri posse censeo, quam si duo observentur generalia; quorum primum est investigare, in quo invicem conveniant pœnitentiâ, censura & pœna; alterum est inquirere, in quo invicem distinguantur. Itaque seu pœnitentiâ, seu censura, seu pœna, in eo conveniunt singulæ, in primis, quod omnes supponant delictum admissum; secundò, quod omnium absolutio, remissio, vel dispensatio potest esse reservata superiori Prælato, vel non reservata, quemadmodum in singulis suo loco demonstrabitur; tertio, quod æquæ pœnitentiæ, censura & pœnæ in personas privatorum, ac in universitates, & collegia inferri possint. Quædam etiam sunt, in quibus pœnitentiâ, & censura conveniunt invicem, & distinguuntur à pœna; item censura, & pœna conveniunt invicem, & distinguuntur à pœnitentiâ; denique pœnitentiâ, & pœna conveniunt invicem, & distinguuntur à censura. Conveniunt invicem pœnitentiâ & censura, & distinguuntur à pœna in eo, quod pœnitentiâ, & censura indicitur, ut facilis reus convertatur, vitiaque declinet, pœna verò locum habere solet, ubi vix ea spes subsit, nisi agatur de pœna inflictâ ob gravissimam cuiusdam criminis atrocitatem ad terrendos facinorosos homines, ne similia moliantur. Item conveniunt pœnitentiâ & censura, & distinguuntur à pœna in eo, quod cum per pœnitentiâ aut censuram certis juribus ecclesiasticis reo interdicitur, eadem jura non

pœnitentiâ evellantur, tantum impediatur exercitio; aliud contingit in pœna inflictâ, quæ si certa jura sacra auferuntur, eadem funditus, atque ita dixerim, radicibus extirpantur, dummodo talia, sint, quæ evelli possint. Adhuc hanc exceptionem, ut indicem, depositionis seu degradationis pœnam ideo non auferre Sacerdotalem ipsam ordinem, quia character semel in anima impressus nec unquam amitti, nec quacumque homines auctoritate deleri valet. Conveniunt invicem censura, & pœna, & distinguuntur à pœnitentiâ, quod censura, & pœna ut plurimum feruntur in contumaces, nisi atrocitas gravioris alicujus criminis postulet, ut non perspicua contumacia quis statim censura, aut pœna notetur; pœnitentiâ autem indicitur volenti, & ad obtemperandum parato; imò & censura ipsa vel pœna ubi in volentem, & paratum ad obtemperandum inferretur, aut etiam ubi lata sit in invitum, qui deinde libenter eam sustineat in expiationem admissi, censura, pœnæ nomen & qualitatem amittit, & verius pœnitentiâ appellatur. Hujus rei argumento est, quod anathema propriè inter pœnas recenseri debet, & tamen si quis demisso animo illud sustineat, veniamque imploret, absoluteione quasi esset censura deletur, quando si tanquam pœna etiam in hac specie haberetur, non absoluteione, sed dispensatione aboleri deberet. Neque in contrarium dicas, depositionem pœnâ esse & tamen etiam in eo, qui demisso animo depositionem ferat, dispensationem, sive restitutionem esse necessariam: Si quidem repono, dispensationem, seu restitutionem non esse necessariam in ea parte, in qua depositio pœna est, sed in ea, qua notam irregularitatis induxit, quæ sanè non amplius pœna dicitur, sed juris impedimentum, cujus natura est, ut nonnisi dispensatione deleatur. Insuper in eo conveniunt censura & pœna, quod istæ indicuntur adversus reluctantes, eamque ob rem modo

inducuntur ex juris potestate, modo ex sententia judicis, cum in illis indicendis vera jurisdictione exerceatur, id est adversus invitos; & distinguuntur à pœnitentiâ, quod hæc aut à reo sponte suscipitur, aut reo demisso animo acceptanti inferretur, ac propterea potissimum ex factio hominis pendet, non juris potestate imponitur; & quamquam ipso jure statui, & potuerit aliquando, & possint certæ regulæ, ad quas exigat, & judex sententiam suam, & reus suam satisfaciendi voluntatem, istæ tamen non adeo certæ erunt, ut prudenti modo judicis, modo rei arbitrio non relinquuntur. Præterea conveniunt invicem censura, & pœna, ac distinguuntur à pœnitentiâ in eo, quod censura ac pœna etiam in illos inferri possint, qui non sunt in Ecclesia, dummodo observet, id habere locum in censura, quod atinet tantum ad civiles effectus, juxta capitulum 14. de Judæis, & capitulum 12. de usuris; pœnitentiæ verò capaces non sunt, nisi qui sunt in Ecclesia, aut proximi sunt, ut Ecclesiæ adscribantur, quemadmodum adparet in catechumenis, qui olim per varias pœnitentiâs ad Sacramentum baptismatis præparabantur. Denique conveniunt, censura, & pœna, & distinguuntur à pœnitentiâ in eo, quod pœnitentiâ etiam peragi possit pro delictis interitis; at nonnisi pro externis indicitur censuræ, vel pœnæ. Conveniunt invicem pœna, & pœnitentiâ, ac distinguuntur à censura in eo, quod & pœna, & pœnitentiâ expiet crimen admissum in reo, unâ etiam satisfaciât Christianæ Reipublicæ ex admissio crimine læsæ; at censura præcipuè feratur ad correctionem delinquentis; cujus rei argumento est, quod si censura notatus supplex ad Ecclesiam accedit, & absoluteionem implorat, & pœnitentiâ adhuc expiandus sit, & quandoquæ certis pœnis multari valeat ad satisfaciendum Christianæ Reipublicæ, & ad scandalum auferendum, item in eo conveniunt pœnitentiâ

& pœna quod modo ad tempus determinatum, modo ad tempus indeterminatum ferantur, modo etiam in perpetuum, contra quam vigeat in censura, cujus natura postulat, ut semper in tempus indefinitum conferatur. Differunt omninò invicem pœnitentiâ, censura, & pœna, quod in Ecclesia alii sint administri, qui possunt tantum pœnitentiâs indicere, non censuras, aut pœnas; alii, qui censura notare possunt, non pœnam infligere; alii denique, qui etiam pœnam possunt inferre. Item differunt omninò invicem in eo, quod pœnitentiâ imposita aut pœnitentiâ satisfactio, aut judicis indulgentiâ; censura nonnisi absoluteione; seu restitutione in pristinum statum; & pœna nonnisi dispensatione aboletur; proinde neque est par in hac parte potestas administratorum in Ecclesia, quam alii sint, qui possunt reconciliare pœnitentes, alii, qui & possunt à censuris absolvere, alii, qui præterea possunt pœnam dispensationem facere.

Ne verò nimis subtiles, fortè etiam inanes alicui videantur hujusmodi observationes, nonnulla adhuc subjicio, ut demonstrarem, eas aut necessarias esse, aut certè maximè opportunas ad adsequendam canonum præsertim veterum mentem, in quibus cum passim aut pœnitentiâ, aut censura, aut pœnæ nomina promiscuè sumantur, uti superius adnotatum est, certæ sunt præjacienda principia, quibus positus unusquisque valeat distinguere, quibus in casibus propriè illa nomina usurpata fuerint, à quorum propterea stricta significatione non sit recedendum; & quibus in casibus improprie adposita, quorum propterea significatio latius accipiatur, atque ex gr. non censura intelligatur, quæ censura appellata est, sed pœnitentiâ, vel pœna; non pœna intelligatur, quæ pœna appellata est, sed pœnitentiâ vel censura; quando verum est, canentum auctores non semper verborum proprietati adhasisse, sed potius de sententiâ, & de rerum, quas exprimebant, natura fuis-

se sollicitos. Exemplis rem claram faciam. Definit Augustinus in can. 81. de pœn. dist. 1. pœnitentiam bonorum, & humilium fidelium pœnam quotidianam &c. Si pœnam vocat, improprie vocat, propterea quod ait, à bonis & humilibus fidelibus excipi; qui proprius pœnitentiæ character est. Idipsum ex Augustino liquet in can. 4. & 7. de pœn. dist. 3. ubi pœnitentiæ pœna dicitur, cum tamen ita pœna appelletur, ut reus in se puniat, quod dolet commississe, item ut detineatur vel ad demonstrationem debite miseriæ, vel ad emendationem labili vite, vel ad exercitacionem necessariæ patientiæ, liquet pœnæ nomen non nisi latissime usurpari. Toleranti Antistites: censuræ nomine utuntur in can. 13. dist. 12., sed præterquam quod non absolute censuram dicunt, sed pœnitentiæ censuram, subiiciunt talem esse censuram, qua lacrymis præterita transgressionis culpa diluatur, & necessariæ officiorum doctrina studiose addiscatur, eamque ob rem indicium est, censuræ nomine non proprie censuram, sed pœnitentiam intelligi. In canone 11. & 12. dist. 28. fit mentio excommunicationis, diversa tamen est utrobique significatio; nam in can. 11. excommunicatio verè significat censuram, quia fertur in contumaces, uti indicant verba illa, si in criminis intentione persistierint, qua pœnitentibus minime congruunt; at in can. 12. verè significat pœnitentiam, aut pœnam, quia fertur in perpetuum, aut usque ad mortem, uti indicant verba illa nunquam communicet, moriens tamen ei Sacramenta subveniunt, quæ verba proprie censuræ convenire non possunt. In canone 10. dist. 50. quæ excommunicatio dicitur, appellatur etiam pœnitentia, & quidem improprie excommunicatio, proprie pœnitentia, quia perpetuo ibidem interdi-

citur reo communione, quod pœnitentiæ congruere potest, nullo modo excommunicationis censura. In canone 2. dist. 34. suspenduntur Clerici, & Diaconi venatores; at suspensionis nomen aliter in Episcopo, aliter in Diacono intelligitur. In Diacono vera censura est, quia absolute is dicitur ab omni officio, & communione suspendi; in Episcopo pœnitentia, vel pœna est, quia trium mensium spatium definitur, intra quod ille à communione suspendi juretur; propterea nimirum quod indefinita suspensio verè censura est, pœnitentia autem, vel pœna, quæ certo tempore circumscribitur. Quis excommunicationem triginta dierum spatio circumscriptam simili ratione non censuram, sed pœnitentiam non nominaret, de qua mentio fit in can. 9. dist. 35., fortè etiam pœnam, quando ibidem subjicitur, Clericum ebriosum aut esse communione privandum, aut corporali subdendum supplicio? Quis excommunicationem, de qua agitur in can. 101. caus. 1. quest. 1., non intelligat, non esse censuram, sed potius pœnam, quia & certo tempore concluditur, & fertur etiam in invitum? Similia observari possunt in conspectu canonis 24. dist. 86., in can. 6. dist. 89., & in can. 7. vers. si verò caus. 2. quest. 1. Multa alia non persequor, ex quibus adhuc clarius liqueret; quam utile sit, laudatas regulas præstitisse ad interpretationem veterum canonum, in quibus pœnitentiæ, censura, & pœnæ nomina promiscuè identidem usurpantur, quamquam plurimum inter se distent; si quidem in subsequentibus dissertationibus erunt adhuc plura recensenda, quæ hanc ipsam rem in luce apertissima collocabunt.

DISSERTATIO SECUNDA DE REIS PER PŒNITENTIAS EXPIANDIS.

Huc referendus est titulus 38. lib. 5.

CAPUT I.

De Pœnitentiæ disciplina, ejusque natura.

Pœnitentia definitur ab Augustino in can. 4. de pœnit. dist. 3. quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commississe, cujus natura non eo tantum respicit, ut Deo satisfiat, sed etiam ut peccatorum causa radicitus evellantur, ut tradit idem Sanctus Antistes in can. 3. ead. dist. Peccati quidem macula Sacerdotali absolute deletur, qua homo in divinam gratiam restituitur, sed manet inde obligatio satisfaciendi, nisi satisfactio absolute præcesserit, quemadmodum & definiaverunt, & elegantissime explicaverunt Tridentini Antistites in sess. 14. cap. 8., quod adeo verum est, ut in quocumque admissio peccatorum, ut levissimorum, genere obtineat. Ad instituendos Sacerdotes modum peragenda pœnitentiæ reis criminum designatos, editi olim fuerunt libri, quos pœnitentiales vocabant, eosque addicere Sacerdotes jubebantur, quibus pro opportunitate uterentur, can. 5. dist. 38. Sanè præcis Ecclesiæ sæculis, cum Ecclesiæ diris vexationibus quærebatur, pœnitentium rationibus dirigendis satis & undique consulti non potuit. Hinc ubi delinquentes essent reconciliandi Deo, & Ecclesiæ, ex uniuscujusque Sacerdotis vel Episcopi reconciliantis arbitrio pen-

debat ita singula moderari, ut quod quisque prudenter judicavisset, id pro lege à pœnitentibus haberetur. Pacatis Ecclesiæ rebus, cum quorundam Sacerdotum aut nimia austeritas pœnitentes ferè in desperationem adduceret, aut nimia indulgentia illorum utilitati parum consuleret, operæ pretium duxerunt prudentissimi quidam Antistites, generales quasdam regulas ad disciplinam pœnitentium stabilendam elucubrare, easdemque palam proponere, à quibus Sacerdotes non deflecterent. Primum apud Græcos proderunt, auctoribus Basilio in epistolis canonicis ad Amphilochem, Athanasio in epistola ad Rufinianum, Gregorio Thaumaturgo in epistola de pœnitentia, Gregorio Nissano in epistola ad Lætojum, Cyrillo Alexandrino in epistolis canonicis, Joanne Constantinopolitano in libello pœnitentiali, aliisque numero plurimis. Apud Occidentales memoria superest, Cyprianum librum pœnitentialem condidisse, quem in epistolis suis ipse commemorat, hunc tamen neque inter opera Cypriani reperiri, neque in aliqua Ecclesiæ librum receptum fuisse scimus. Primus pœnitentiales libros à Grecis derivatos vulgavit in Occidentali Ecclesiæ Theodoros Cantuariensis in disciplina Græcorum olim instructus, quos in Dicecesi sua tan-